

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Simonius Konrad Brandt

In Avaritiam Oratio

Rostochi[i]: Pedanus, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729133745>

Druck Freier  Zugang



C. Brand.
R. U. phil. 1613.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn729133745/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729133745/phys_0002)

DFG

IN
AVARITIAM
ORATIO:

In Collegio Oratorio

Clarissimi, Doctissimi & Humanissimi Viri,

Dn. M. JOANNIS SIMONII,

In Inclita & florentissima urbis Rosarum Academia

Eloquentiae Professoris Publici,

habita à

CONRADO BRANDIO Rostochiensi.



Rostochi

Ex calcographia Joachimi Pedani

A N N O

M. DC XIII.

1613



IN AVARITIAM.

Vanquam, Auditores, ea est humana
imbecillitas conditio, ut plurimi er-
roris caligine occecati, sua raro agno-
scant vitia, sed ea modis omnibus te-
gere & palliare, aut bis et jam virtutum nomina
imponere conentur: nos tamen veritatis lumine
excitari, vitium non minus turpe, quam perni-
ciosum, & Christiana religioni maxime contra-
rium ambobus, quod ajunt, pedibus fugiendum
& à virtute distinguendum esse arbitremur.
Quemadmodum enim non ex aurato freno aut
ephippio generosi equi bonitas estimatur: ita nec
homines exteriori veritatis habitu, & ex fluente
glorii quasi flosculi rutilantes judicandi sunt; sed
quos virtute inflammatos ad verum gloria fasti-
gium aspirare cognoscimus: in quibus interior pul-
critudo omni numero lucet, hos laudandos, am-
plete tendosq; statuamus. **V**irtus enim sola est, qua
omnium charitates in se continet:

Virtus repulse nescia sordidæ
Intaminata fulget honoribus,

Quod etsi ita est; tamen sape fit, ut decipia-

A 2

mur,

mur, ut non raro sub specioso cortice vermem aliquem pestiferum nescij, ignariq; foveamus. Atq; ut cetera id genus, qua prae modum infinita sunt, dicendo ne conseceret: quis nescit Avaritiam suos passim habere & cultores & admiratores, qui eam omni conatu & singulari quodam amore amplectantur atq; prosequantur? Hujus enim farina homines terra alit quam plurimos, qui immensam illam & in extinguisibilem cumulandarum opum aviditatem ita exosculentur, ut jures te citius Herculi clavam eripere, solem à cursu deflectere, & ver ex anno tollere, quam illos ab hoc turpisissimo lucrandi studio, ad quod tanquam ad Sirenum scopulos consenserunt, ad auctoritas studium posse retrahere. quin imo flant inconcusi & longe firmiores in detestanda hac sententia, quam quercus illa Vergiliana, quam

Alpinæ Boreæ nunc buc, nunc flatibus illuc.
Eruere inter se certant,
Ipsa hæret scopolis, & quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice in tartara tendit.

Vt enim Lenonibus Lenocinium & stupra placent: sic videas non nullis hominibus Avaritiam adeo placere, ut non immerito dictum sit: Placere suum Regina Regem.

Sed

Sed mihi, Auditores, nunquam persuaderipari,
esse tam honestam avaritiam faciem, tantamq;
eius pulcritudinem, ut me in sui non dico amo-
rem, sed admirationem rapiat: quin ita potius sta-
tuo: Avaritiam esse rem detestandam atq; abomi-
nandam. Quod dum argumentis certis evinco,
queso, quoniam omne mihi per fugium in vestra
bonitate situm est, Auditores, ne ego, qui non qua-
rando, sed rogando à vobis hoc impetrare gestio,
operam vestram frustra implorasse videar.

Cum omnia vitia bonis viris odiosa atq; in vi-
sa sint: Avaritia tamen præcipue alienat ab ijs,
in quibus est, aliorum animos: omniumq; bono-
rum sibi odia conflat, conciliat, colligit. Quis enim
est, qui non cum, quem avarum esse consuet, quasi
maleficum aliquod & noxium animal fugiat, a-
versetur, odio habeat? Cateris vitijs affectos ali-
quo modo ferimus: quibusdam ignoramus: qui-
busdam non offendimur: quibusdam in hac vita
morumq; corruptione et jam oblectamur: solus a-
varus communi omnium odio flagrat: suis, alic-
nis, civibus, peregrinis, notis, ignotis, invisis,
exosus, intolerandus est. Itaq; quantum ab homi-
ne Christiano & probo viro alienum esse oporteat

A 3

hoc.

hoc vitium, et si vel hinc patet: tamen ē inde id-
ipsum facilimē cognosci potest, quod Avaritia,
religionem, fidem, caritatem, ceteraq; omnia pie-
tatis instituta, funditus evertit. Quia enim ra-
tione fieri potest, ut qui avaritia deditus sit, is
religiosè vitam suam instituat? cum avaritia se-
mel captum hominem totum ad se rapiat, nec de
honestate, nec de iustitiā quicquam cogitare sinat.
Neq; vero qui fidem servare, singulosq; homines
ex divinae legis prescripto, tanquam se ipsum dili-
gere studuerit, ullo modo conabitur quenquam
furto exhaustire, aut fortunis patrimonioq; spo-
liare. Nam quod cum furibus rem habeat Ava-
ritia; id inde patet, quod divinitus in nos collata
bona, qua ad alimoniam ē vita conservationem
supersunt, quaq; omnino sunt pauperum, auffer-
re, ē in avariūsum, cum detimento pauperum
dolo malo convertere doceat. Vir enim probus
atq; intelligens honestis tantum rationibus ē ar-
tibus, non fraude divitias quarit. Ista perditio-
rum hominum ē improborum conditio est: quos
neq; divini numinis horror, neq; existimatio popu-
li, neq; leges ulla coercere possunt, quin omni cor-
poris ē animi contentione, per fas ē nefas pecu-
nias

nias corradere, corrasas in usum à legibus & na-
tura prohibitum convertere studeant. Sed illud
forte absurdum esse Avarus dicet, quod ea
bona, quibus ad vitam vel colendam, vel or-
nandam non indigemus, esse pauperum, non
vero nostra dicebamus. Hic mibi, Auditores, ve-
stro opus est accurato politoq; judicio: qui sacris
literis imbuti, Christianaq; pietate erudit i ipsi per-
spectum & cognitum habetis, nos non nostrorum
bonorum dominos, sed øconomos & administra-
tores esse: quibus a Deo, principe illo principum,
serio demandatum sit, ut ijs, quibus abundamus,
bonis proximum juvemus, non ut illa in abdita re-
condamus, & vectibus sigillisq; obstructa tenea-
mus. Quod igitur rebus, qua ad nostram nostro-
rumq; alimoniam, vitaq; sustentationem satis
sunt, super est, id nostrum non est, sed eorum quos
egenos & inopes esse novimus. Vita nostra quā
fruimur ecquid ulli hominum data est mancipio?
non opinor, Auditores, quenquam fore tam sto-
lidum, qui hac dicat; ac non potius fateatur, vi-
tam omnibus usu datam esse. At quantò magis
hoc de bonis fortuna, cum vitâ sint longè inferio-
ra, dicendum erit: nulli ea esse mancipio data, sed
omni-

omnibus usu. Ac quemadmodum Eleemosynæ non sunt
ejus, quem ijs distribuendis prafecit Princeps, sed eorum,
in quos distribui jussit: Sic bona fortuna non sunt ejus,
quibus ea Dominus largiter concessit: sed sunt eorum,
quos juvari vult Dominus ijs bonis. Intellexerunt id-
ipsum etiam Ethnici. Xenophon in Oeconomicis pecunia
hunc esse usum afferit, ut **E** Deus magnifice honoretur,
E amici, si qui indigeant, adjuventur, **E** patria exor-
netur. Elianus v. de quodam Lacedæmonio, cui Timan-
drida nomen erat, hæc commemorat: eum cum longinquā
peregrinationem suscepisset, familiae procurationem dele-
gasse filio: cum autem revertisset, **E** rem multis parti-
bus filij industriâ auctionem repercrisset, quam ante fuisse **E**
vituperasse, quod diceret, ab illo Deos **E** familiares atq;
hospites injuriâ affectos, quibus deberentur, qua faculta-
tibus superarent. O vocem laudabilem, **E** omni me-
moria æternandam! quam Lacedæmonius ille in extremo
judicio avaros nostros, qui ea quæ supersunt, sua esse gar-
rire non erubescunt, graviter accusatos, damnabit? Sed
obsecro te quicunq; es, Avare, aliquando, dum adhuc in
via es, in te descendere: te ipsum respice: cogita quam tur-
pem personam sustineas: memento quæ habeas, à quo ac-
ceperis. Dei, Dei inquam sunt: à Deo ista habes: Dei
es minister, **E** villicus conservorum. Ne putes omnia
ventri

Ventri tuo esse preparata, quæ habes. Fur es, cum ea,
quibus ipse non egeas, quæq; non tua, sed pauperum sunt,
auffers aut desideras. Fur es, in qua si, perinde ut is, qui
ab Eleemosynis alicuius est principis, si eroganda in pa-
peres stipis partem sibi reservat. Atq; hæc quidem quam-
vis ejusmodi sunt, ut ad concitandum, inflammandumq;
in avaros, quemlibet torquentem animum sufficere posse
videantur: ex tam uberi tamen campo alia quadam pro-
feram. Quemadmodum enim ij, qui præclarari alicuius
adficij pulcritudinem per videre ac penitus cognoscere cu-
piunt; non satis sibi esse ducunt, illud uno totum aspectus
contemplari, sed singulas etiam partes sibi perlustrandas
ac seorsim considerandas putant: Ita nos si hujus vitij
partes paulisper excutere voluerimus, tum demum, quan-
ta illius turpitudos sit intelligemus. Avaritia igitur nulla
re proximum egentem juvat, afflictis non succurrit, non
pascit fame laborantes, siti confectos non recreat. Ava-
ritia omnium bellorum, oppressionum, expilationum, e-
versionum, populationum & publicarum calamitatum,
quæ bella sequuntur, est causa. Avaritia homines dat
internecioni. Etenim sua duritie suaq; illiberalitate e-
gentes inopia mactandos, egestatiq; consumendos tradit.
Ut enim ignis non tantum aqua subiecta, sed etiam nullo
pabulo suppeditato extinguitur: Sic hominibus non modo
viillata, sed & non datis, quæ ad vitæ conservationem

B

necessa-

necessaria sunt, vita eripitur. Imo Avaritia Homicidis
truculentior est. Hi enim uno impetu homines tollunt:
illa vero curis & laboribus diu noctuq; oppressos lentatam-
dem morte enecat. Quare rectissime dixit, qui dixit;
avaritiam esse beluam istam feram, immanem, intole-
randam, quæ oppida, agros, urbes atq; domos vastat; quæ
divina humana permiscet; cui nec exercitus, neq; menta
obstent, quo minus vi sua penetret: quæ omnia diruit:
quæ nullis miseretur: nullos q; miseratur.

Adde quod & avaritia doceat colere Idola: siquidem
divinum cultum, & honorem tribuit pecunijs, fiduciamq;
suam, quam in uno Deo collocare debebat, rebus creatis,
quas pro DEO colit, apponit: cum eas in pectore collocet,
quæ templi divini pars est illiusq; eminentior, quamq;
Deus sibi, & Spiritui Sancto in sedem & dominicalum
peculiariter consecravit. Etenim si vel minima reveren-
tia significatio ante Idolum facta; quod si manum subla-
tio, capitis submissio, genu flexio verum Idolatriæ argu-
mentum est: quid dicendum de avaro, quem constat
omnem suam curam, orne studium, omnem cogitatio-
nem rei create affixam habere: ei uni confidere: de ea una
noctes, diesq; cogitare? Itaq; Paulus ille Tarsensis A-
varitiam Idolorum vocat servum. Ex Philosophicis ve-
rò nemo unquam asperius invecitus est in ullum aliud.
vulum, quam SOLON ille Sapientissimus fecit in A-
varia.

Avaritiam: qui cum omnia vita execrari est detestari
maxime studeret, tum summum ei fuit vijum opprobium,
quod de Avaritia diceret, esse eam omnis turpitudinis
Metropolin. Adeò præclarum ac insigne SOLONI fuit
Avaritiae nomen, ut eam statueret esse impietatis in De-
um, improbitatis, adulterij, furti, calumniarum, et
omnium quæ in hominem cadere possunt, scelerum caput
Ducem. O rem turpisimam Avaritiam! O dete-
standam! quæ servos tuos tum aliorum facinorum reos,
tum Idolorum facis cultores! Quam rectissime dixit,
qui te invochi dixit quatuor vitiorum rotis: Pusilla animi-
tate, Inhumanitate, Contentu Dei, Oblivione mor-
tis: Jumenta trahentia esse Rapacitatem et Tenacita-
tem: quibus unius arrixa praesideat, habendi ardor! Quid
enim, Auditores, fatus audiu? quid turpis cogitau?
quid factu execrandum magis, quam sordide vivere?
neg, nos ad inuita majora quædam excellentiora, quam
ad istas terrena fecis qui quilias natos esse cogitare; sed
semper in area aut pyxidula animos habere conditos?

Maximus vero et permicosissimus avaritiae mor-
bus est, quod sit religionis hostis. Arcet enim homines à
verbo diuinæ auditu, quod fidei fundamentum est: si
audiatur, id à mente removet: quod si mente percipiatur,
obstat ne fructus producere queat, illudq; simul ac incipit
crescere, ut spine satum in dumeto granum sufficit. Quod

facile in omnibus avaris cernere est: quos videoas Dei prouidenciam, & de rebus creatis curam, à qua vita sua pendeat conservatio, nullam considerare. Sperant enim futurum, ut cum maximè divitijs inhiant, cum amplissimas possessio[n]es & incommemorandum pecuniam corradunt, tum bene beatèq[ue] vivant, nulloq[ue] DEO indigeant. At insani & miseri isti homunciones non animadver-tunt, quod fragilissimum turpissima cupiditatis vitreum lucentur: gratiam autem Dei, tranquillitatem animi, & multas preciosissimas aeternitatis margaritas amittant. O cæca hominum judicia! O fallaciæ hominum spes! O lubrica & ancipitia humana vita curricula. Fac enim, proponas avaro promissiones Dei: inculces ei benignitatem fehovæ: decantes ei divitias amoris Dei: emoriar, nisi pluris fecerit numinum aureum in crumenâ quam dictum in sacra pagina: nisi longè majorem ex pecuniolâ in arca inclusa, quam ex omnibus cohortationibus obtestationibus, monitionibus, ijsq[ue] non in lingua natis, sed ex ipsis sapientia & divina fontibus productis, fiduciam conceperit. Quod si ejus mentem immutare, impellere, retrahere: Si cupiditatem profligare atq[ue] exterminare: si futuras penas avari oculis subiaceat, inferorum sedes ipsi aperire, torsio-nes, cruciatus, supplicia scelerum pati facere coneris: jam verò actum ages, surdo fabulam canes, nec tam his monitis illum commotum videoas, quam si unius numuli lu-

crum

erum ipsi excidisse quispiam nuntiaret. Qui enim pecuniarum illecebris illectus inhiare ijs cuperit, ille nihil magnificum, nihil praelarum nihil quod ad honestatem pietatemque spectare videatur, cogitare potest. Hominem ad hoc procreatum Anaxagoras etiam novit, ut cœlum suspiciat, & assidue contempletur: Sed profecto vilescit animus, & hominis præstantia deprimitur, cum relicta cælestium ac diuinarum rerum cogitatione, se se ad ista infima caduca & fragilia fortune munera demittit, & nulla re, nisi pecuniarum pulcritudine recreatur. At inquies: ille male vivit, & felix est: Ille justè vivit & laborat. Non indignetur, inquam, justè vivens & laborans: nec exultet male vivens & felix. Intus ille habet, quod felix hic non habet. Non ergo tristetur, non maceretur, non deficiat. Felix ille habet aurum in arca: Iste Deum in conscientia. Ille habet illud quod perit, & ibi habet unde perit. Iste Deum habet qui perire non potest, ut inquit Augustinus ille Augustinus.

Cum igitur illa, quæ cum pietate pugnant, avarus agat; quis non, nisi talperæcior, eum à fide, à Deo & lege videt alienissimum? Poëta, ut avari formam expriment, similem finxerunt Tantalo, fame sitiq; perpetua cruciato, quamvis cibum ac potum labris prope contingat. Lucianus vero cani comparat feno incumbenti, qui licet fannim comedere non possit, alijs tamen ne come-

dant arcere latrando conatur. Pari modo avari pecunia-
rum sunt inexplebiles; qui magnis opibus per fas nefasq;
conquisitis, nunquam tamen possunt exsatiani: Et, licet
Pythi, Mysorumq; talenta habeant, licet infinita jugera
possideant; nihil ijs sat est. Tanta est eorum auri sitis!
tanta argenti famis! Cum enim anteponant utilitatem
semper honestati: cumq; tantum questus, emolumen-
tum, fructusq; proposita sibi habeant, atq; toto impetu ad
illa rapiantur: fit, ut habendi cæcitate in q; eò excœcen-
tur, ut eos honestatis, qua finem præscribat habendo, sce-
lerata capiat oblivio. Nam quid dicam, quo studio,
qua cura, qua solicitudine se defatigent Avari: ut nec
cibi, nec somni recordentur? ut totas, sapissimè noctes
vigilent? ut lucem tenebris, tenebras luci copulent?
Et tandem non faciati recedant? Tanta est eorum per-
versitas! tanta malitia! ut aliorum bonis inhiare, eaq; ad se aquili-
nis ac miluiis unguibus, tanquam Harpyæ quadam, rapere non
pertimescant. Lucrandi gratia omnia patiuntur: nihil est quod eos
ab hoc removeri poscit: non sitis, non famis, non frigus, non calor non
deniq; somnus omnium sensuum quies placidissima. Lucro Poli
student; dormientes de lucro somniant: vigilantes lucrum in ore
frequentissime habent. Et licet omnes eis las auri plenas, resertas,
onustasq; habeant; nunquam tamen expleri queunt cupiditatis siti,
sed potius continenter plura conquirentes, majora semper appeten-
tes, plurima congerere student. Nam ut optime dixit juvenalis:
Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit: Et Horatius:

Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Nec suum pellit, nisi causa morbi

Fugenit


Fugerit venis, & aquosus albo
Corpo languor.

Sic & Avaritia est insatiabilis, neq; copia neq; inopia minuitur.
Nullum enim finem neq; modum repertre quid ipsius solicitude, diffi-
dencia, timor & habendi libido: hac dormientem & sopitum avar-
sum pungit, non scius ac si in densissimis vepreribus aut carduis re-
cumberet. Si quis enim intimas hominu avari partes respicere pos-
set: Ejus mentem videret longe mobilorem arborei que in excelsi
montis vertice sine ulla ventorum intermissione agitetur. Conside-
rate igitur & cum animis vestris reputate, Auditores, num adhuc
mirum videatur, quod toties in sacru literis, avari improbentur. &
ab eterna felicitate repellantur? quod Tarsensis ille nos adeo studiose
ab avaritia dehortetur, quia sit omnium malorum radix: quodg; af-
firmet, qui diefscere cupiunt, eos in tentationem & laqueum Diaboli,
multasq; amentes & damnosas incidere cupiditates, atq; inevitabili
Orci carcere constrictos teneri, in cavea eterna mortis vagari, &
undique tam corporis quam animi periculis circumvestitos esse. Quid
enim quaso aliud Lacedemonios perdidit quam nimia pecunia & au-
ri cupiditas! An non verò Romanos, cum antea in victri essent, sola
avaritia vicerit, eiusq; antiquum nominis decus ademit? Polymnestor
nonne auri cupiditate adductus, Polydorum, Laomedontis Trojanis
regi filium, in littore ambulantem telis aggreditur & ut Poeta ait:
Obtruncat, & auro vi potitur? Cresus ille ditissimus, nec regno Ly-
dia, nec infinitu tributis stim suam extinguere poterat; quin tandem
illum regni amplificandi stulta cupiditas impelleret, bello Cyrum ag-
gredi: à quo devictus, & regno & libertate spoliatus est. Constan-
tinus, Constantini Magni filius, non contentus sua sorte, quamvis Ita-
lia & potior pars ei obtigisset, fratrem minimum, nomine Constan-
tem, armis invaserit, ut partem ejus qusq; auferret: Cui contra cecid-
dit, ut eo bello, & vitam & regnum simul perderet. Quid vero
avaro illi, cuius sacra pagina mentionem facit, qui preciosis cotidie
vessibus inducebatur, splendideq; vivens genio indulgebat, quid ipse
pernit?

perniciem attulit, nisi divitiarum abusus? Quid Iude Christum
prodendi arsam præbuit, nisi sita pecunia? Hæ sunt avaritia mer-
cedes, quibus suos ornat! Hæc bona sunt, quibus eos remuneratur!
O scelerum omnium radix Avaritia! quo miseros mortales sui peni-
tia oblitos, consiliorum inopes, cæcos, amantes, raptas? in quæ probra
semel à te captos homines præcipitas? Quid est ergo, qui te non car-
tius sanguine viperino, ô Avaritia, fugias? Quis est, qui te navi-
bus & quadrigis ut ajunt, & remis ac velis non vitet? Quis est, qui
te ecce, Scyllam & Charybdis non detestetur? Tu enim efficiis, ut
mortales divinum cultum deserant, humanam societatem utolentes,
oblivione justitiae capiantur: Tu leges, tu amicitiam exvertis: domos
aliorum exhaustis: Tu ad omne flagitium, ad omnem turpititudinem
facem præfers: Tu denique hominem dementem, perfidum, furiosum
reddis: ut non aliter atq. immanissima belua Deum, & homines
contemnat & pro nihilo ducat.

Tu vero aterne Deus, rege & accende corda nostra Sancto tuo Spie-
ritu, ut te & sanctam voluntatem tuam per filij tui concionem patefactam,
verè agnoscamus. Evelle ex cordibus nostris omnes radices viciorum
elide fibras omnes cupiditatum: extingue omnia nequitia semina Pro-
tege nos ab Avaritia, qua omnium malorum radix est, ne eam appre-
tententes, erremus a fide, & in tentationem ac laqueum Diaboli, inci-
damus, & in desideria multa inutilia & noxia, qua mergunt homines
in interium & perditionem. Da nobis sancta tua sedis assistricem sa-
pientiam, & mitte Spiritum de calore sancti tui, & à sede magnitu-
dinis tua, quo nobiscum ille habitet & labores semper, & urat igne
suo spinas illas, que perpetuo in nobis succrescentes, tui seminiapro-
ctum impediunt: ut expediti pondere inutilium sarcina-
rum sua vestigia facilius & alacrius
persequamur.

D I X I.







erum ipsi excidisse quispiam nuntiaret.
niarum illecebris illectus inhibere ijs coper-
gnificum, nihil praeclarum nihil quod ad h-
temq; spectare videatur, cogitare potest.
hoc procreatum Anaxagoras etiam novit
ciat, & assidue contempletur: Sed pro-
mus, & hominis præstantia deprimitur,
stium ac diuinarum rerum cogitatione, se-
caduca & fragilia fortune munera demis-
nisi pecuniarum pulcritudine recreatur.
male vivit, & felix est: Ille justè v-
Non indignetur, inquam, justè vivens
exultet male vivens & felix. Intus il-
luc hic non habet. Non ergo fristetur, no-
deficiat. Felix ille habet aurum in arca
conscientia. Ille habet illud quod perit, &
perit. Iste Deum habet qui perire non pote-
guistus ille Augustinus.

Cum igitur illa, quæ cum pietate pa-
agat; quis non, nisi talpa cæcior, eum à fid-
videt alienissimum? Poëta, ut avari fe-
rent, similem finxerunt Tantalo, fam-
eruicato, quamvis cibum ac potum labi-
ret. Lucianus vero cani comparat fa-
qui licet fanum comedere non posse, alio-

B 3



Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. C 44